



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Margarita Regina. 10. Iunii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

tia exemplo. Orationis interea perquam studiosus, eam imbibit sapientiam, ut jam Fullonem nostrum velut Apollinem doctissimi quique fidei Doctores adirent. Sub extremum morbum iterum Christum aspectabilem habuit. Et cur non oculos SYLVESTRO ille clauderet, ad quem semper ille levavit oculos? *Ex Chron. Camaldul.*

S. MARGARITA REGINA.

10. Iunii.

CApe has è MARGARITA Scotorum Regine muliebri mundo gemmas, nulli sexui, nulli aetati indecores. Malcolino Regi nupta, omniumque titulorum particeps, nullum cupidius, quam matris pauperum affectavit, meritoque non in suo tantum regno, quod liberalitatem ejus non cepit; quemadmodum neque dies in pietatis opera ei suffecit. singulis noctibus Matutinum, quem vocant, cursum de SS. Triade, tum de Cruce, denique de Virgine Deipara absolvit. Annexit his votivas pro mortuis preces, & Davidis Odaria: quid post hoc pensum somno relictum est? quem tamen ne tum quidem admisit, priusquam sex pauperum pedes abluisset. Diem sic auspicata est. Novem infantulos, quos à suis neglectos matribus educabat pro suis, nutricularum occupato officio, pascebat cibos ori ingerens,

gerens, & quidem genibus nixa, ut reverentius haberi non possent, si vel cælo lapsi fuissent. Trecentis aliis, sed adultioribus, partito cum rege ministerio, cibum inferebat. Tum repetita preces utique penetraturæ cælum, cum tot pauperum apprecationibus sublevarentur. Iidem publicè prodeuntē stipabant catervatim, vile satellitium, sed ad Superos profectura percommodum. In cuius itineris procinctu cum semper stetisset, edocta tandem divinitus est, quando migrandum esset. Mortua toto vultu erubuit. Sensisse plausus diceres, quibus tam rara virtus in cælo accepta est. *Ex Suario.*

SS. BASILIDES & SOCII MM.

10. Junii.

Offenduntur delicati, cum viam iis regiam, quæ ad cælum ducit, stratum crucibus ostendimus; cum per vepreta, quæ Christus calcavit, per cruenta martyrum sanguine vestigia ducimus insuetos laborum; monstrabimus ergo nauseabundis compendium, quo BASILIDES, TRIPVS & MANDALES extra ordinem ad cælum sunt perducti. BASILIDES operâ suam Platoni viro primario, sed impiæ superstitioni dedito locabat, studiosè argumenta omnia celans, ex quibus agnosci Christianus posset. Non placebat Christo, quod tam doctè